

43 42

DE
ACIDI VITRIOLI
PRÆSTANTIA,

AVCTORITATE
GRATIOSI ORDINIS MEDICI
IN PER-ANTIQA HIERANA,
PRO
GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS
ATQVE IMMVNITATIBVS
RITE ET SOLEMNITER ADIPISCENDIS,
DISSERIT
AVCTOR
HIERONYMVS LVDOLF,
ERFORD. THVRING.

ANNO M DCC XXXIX.
DIE XIX. SEPTEMBRIS,
IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS
HORIS CONSUVETIS.

ERFORDIÆ,
PRELO HERINGIANO, ACAD. TYPOGR.

DE
ACIDI VITRIOLI
PRAESTANTIA

AVCTORITATE
GRATIOSI ORDINIS MEDICI
IN PARS ANTONIA HIERONYMI

PRO
GRADU DOCTORIS
SVMMSIVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS
AQUE IMMUNITATIS
RITE ET SOLEMNITER ADIPSICENDIS
DSSERTIT

AVCTOR
HIERONYMVS LAVOLF

AVTORIS TITVLVS
ANNO MDCCLXXIX
DIE XIX SEPTEMBRIS
IN AVDITORIO MAIORI COLLEGIJ MAIORIS
HORIS CONSISTIT

BRORDIA
VIRI HERINGIANO ACAD. TYPOG.





DISSERTATIONIS INAUGVRALIS MEDICÆ
DE
ACIDI VITRIOLI
PRÆSTANTIA
PROÆMIVM.



Olida Theoria quantum in Medici-
na utilitatis ad phanomenorum
exactam cognitionem & ulterio-
rem exinde rite formandam con-
clusionem affert; tantum etiam
impedimenti ad ampliores faciendos progressus,
præcipue autem ad egregia inveniendâ medi-
camenta, introducere potest. Ultra enim ho-
minis vires fere est, a priori omnes circumstan-
tias & proprietates corporum, quarum ope hoc
vel illud præstant, prævidere, sicque utpluri-
mum ex nonnullis tantum circumstantiis &
proprietatibus ad hunc vel illum effectum con-
cludi-

A

cludi-

cluditur, & prout vel bonus, vel malus est effectus, laudatur, vel rejicitur. Hinc sæpissime aliquid, quod sub certis quibusdam circumstantiis malum effectum edidit, ut noxium deprædicatur, & ulterior ejus usus in totum prohibetur, quod tamen si decenter adhiberetur, palmam in præstando effectu desiderato reliquis præriperet. Ejusmodi fatum inprimis medicamenta ex *acido* parata experta fuerunt, de quibus a posteriori scimus, quod sint corrosiva, coagulantia, adstringentia, &c. unde statim ad similem effectum in corpore humano concluditur & tanquam venena damnantur, immo Diaboli nomine a Chymicis insigniuntur, quod certe non factum fuisse credo, si omnes circumstantiæ, sub quibus illa nocent, decenter pensatæ, & sufficientia experimenta cum iis instituta fuissent. Non sufficit enim guttulas aliquot olei Vitrioli frustulo carnis instillare & ex ejusdem erosione ad similem erosionem in corpore vivo concludere. Probe attendenda enim est insignis illa inter corpus vivum & mortuum distinctio. Intra corpus namque vivum, si assumatur *acidum* minori in
 quan-

quantitate, hoc 1) à sero diluitur, 2) per sulphureas, alcalicas & terreas humorum particulas in medium quoddam Sal mutatur, & si hoc etiam non fiat, tamen 3) mucus naturalis internas ab erosione defendit partes; aliàs enim, si ita argumentari liceret, eodem ex fundamento caloris usus prohibendus esset, quia ignis, imprudenter & proximius partibus admissus, fibras destruit. Quare illi omnino maximam ex solida Theoria utilitatem experientur in applicandis ad corpus humanum medicamentis, qui multorum corporum egregiam in corpus humanum virtutem tentare & observare occasionem nacti fuerunt: Hi enim nullis plane rationibus, qualescunque etiam fuerint, ab usu optimi ejusmodi remedii, de quo sufficienter jam convicti sunt, deterreri, multominus ut tale ceu noxium abhorreant, persuaderi possunt. Ea propter quoque me per aliquot annos Jurisprudentiæ addictum fuisse non poenitet, siquidem exoptatissima inde mihi affulsit occasio, tam colligendi, quam investigandi complura optimæ virtutis & efficaciam medicamentorum. Nam insitus ille ab incunabulis erga ar-

tem omnium nobilissimam, amor, maximum
 insimul desiderium, cum celeberrimis & genui-
 nis ejusdem cultoribus conversari, excitavit, ex
 quo etiam diversis in locis uberrimos hactenus
 in me redundasse fructus, probe agnovi. Præ-
 primis gratissima veneror mente Fautorum,
 quorum sincerissima amicitia frui Berlenburgi
 mihi contingebat, æternum colendorum, pru-
 dentissimum, molesta oculorum inflammatio-
 ne sapissime laboranti, suppeditatum consilium,
 Tincturam nempe acidam Cel. DIPPELII in
 usum vocandi. Hoc enim consilio à rebelli
 isto malo per Dei gratiam non solum diu jam-
 jam liberatum me video, sed etiam egregium
 illum effectum, quem curandis plurimis in
 morbis *Vitrioli* præstat *oleum*, ulterius indaga-
 re annisui fui. Certe enim persuasus sum, me,
 nisi experientia aliud suasisset, cane pejus & an-
 gue fugisse talia corrosiva, hincque ab intimio-
 ri eorundem cognitione detentum fuisse. Se-
 mel autem exoptatissimum ejusdem *acidi* effe-
 ctum expertus, centum rationes contrarias par-
 vi æstimandas duxi, magisque a priori ejusdem
 præstantiam deducere semper curæ cordique
 ha-

habui. Hinc, cum egregia & utilissima ista
 medicamenta ab his damnari, ab aliis timeri
 viderem, jamque inaugurale quoddam Speci-
 cimen, pro obtinendis supremis in Medicina
 honoribus exhibendum esset, non inutilem me
 suscepturum laborem censui, si ejus loco *acidi*
Vitrioli singularem *præstantiam* in arte medi-
 ca, pro virium modulo demonstrarem, id quod
 etiam tribus Sectionibus ita præstare annitar,
 ut Sect. I. agam *de Utilitate, quam præstat hoc*
acidum in corpore humano; Sect. II. demon-
 stre, *quod revera a multis in usum vocetur,*
alia licet sub larva; Sect. III. *quomodo illud*
in usum sit vocandum, qua occasione simul de
 præparatione medicamentorum præcipuorum,
 ex acido Vitrioli obtinendorum, agam, quod
 ut feliciter eveniat, Deum T. O. M. ardentissi-
 me precor.

SECTIO I.

Vitali œconomia, in ætate præcipue vegetiori, nil magis *Acida sunt*
 contrarium esse, quam putredinem, ad quam omnia *quasi balsa-*
 corpora animata maxime inclinant, tam ob motum *mm vita.*
 progressivum & imprimis conjunctum intestinum, qui, si pau-
 lisper (quod hac ætate facillime fieri potest,) augeatur, statim
 justo major resolutio humorum inde evenit; quam ob sali-

um alcalium eminentiam, per quotidianam abunde satis adparet experientiam. *Analýsis enim Celeb. HOMBERGII,* quam cum sanguine humano suscepit, & in *Actis Academiae Regiae Scientiarum Parisiens.* *Ann. 1712, p. 9-18.* exposuit, sufficienter monstrat, proportionem acidi ad alcali in sanguine humano esse ut 1 ad 2. Immo cum notum jam jam sit, quod liquores nostri corporis sint ammoniacalis indolis, & una pars acidi sufficiat ad partes 15. Salis alcalini volatilis figendas, merito hinc asserere possumus, acidum ad alcali in proportione ut 1. ad 15. hisce in liquoribus adesse. Cum itaque in statu naturali alcali emineat, etiam in statu p. n. illud facillime abundabit, & resolvendo sulphureas M. S. partes ad putredinem tandem disponet corpus. Si enim particulae liquoris dicti ammoniacalis resolvantur, semper 15. particulae Salis alcali volatilis liberantur, antequam una particula acidi ex ordinario suo nexu secedit, adeoque omnino necesse est, ut sic putredo facile inducatur & cito progrediatur. Huic autem putredini optime per acida resisti posse, quilibet ex his fundamentis lubenter concedet; & hinc procul dubio est, quod pluribus animalibus vegetabilia acidula arrideant, alcalica autem, e. g. Cepae, allium, adversa sint, & idcirco fastidiantur. De acidorum in avertenda corporis nostri putredine potentia, etiam sapientissima Dei ordinatione convincimur, si perpendimus, quod istis Nationibus, quae nimio calori expositae sunt, optimi vini copia simul data sit, illudque communiter potum ordinarium ipsis constituat. Quia enim ob calorem majorem naturaliter ad putredinem disponuntur, medela iterum asseritur per acidum, quod copiose & fortius praesto est, quo generosius est vinum. Idem autem vinum, quod horum regio-

num

num incolis, ob moderatum ejus usum, medicamento loco est, pluribus Germanis, non observata decenti temperantia, venenum quali evadit. Eadem cum acidis res est, utpote quæ minori in dosi assumta, resistunt putredini, majori autem noxam inferunt. In ætate senili vitæ terminus sæpe abrumpitur, ob spissitudinem humorum, eorundemque acrimoniam, vasorum plurimorum concretionem, immo quorundam ossificationem. Sic sæpissime in senibus truncus arteriæ magnæ reperitur ossæus. Vid. *Annal. Med. phys. Wratislav. Tentam. XXXVIII. p. 679. item RICHTERI Progr. de Morte sine morbo, Gottingæ 1736. publicatum.* Hæc autem omnia optime præcaventur usu acidorum legitimo. Terreas enim partes resolvendo atque è corpore eliminando, humorum & spissitudo, & acrimonia optime præcaveri potest, quia absuntis copiosioribus terreis partibus corpora, mediantibus quibus Salia concentrari poterant, deficiunt. Solidescencia autem & ossescencia vasorum cum fiat appositione partium terrearum, hanc, terreis ritè separatis & evacuatis, impediri, quilibet videt. Cum ergo acida non solum putredinem arceant, sed & terrearum partium abundantiam præcavendo corpus humanum in senectute etiam vegetum conservare queant, jure meritoque hinc *balsami vitæ* titulus iisdem tribuendus erit.

§. II.

Cum reliqua acida similem fere effectum præbeant, immo acidum nostri corporis cum acido *Nitri* potissimum coincidat, adeoque secundum regulam: Similia similibus conservantur, acidum *Nitri* magis commendandum foret; ratio hinc ante omnia reddenda erit, cur acido *Vitrioli* prærogativam hancce tribuam. Licet ergo non negem, corpus per

Cur acidum Vitrioli reliquis acidis præferatur.

similes

similes partes nutriri & conservari debere, minime tamen exinde concludendum esse existimo, quod similes partes semper & continuo assumenda sint. Sic experientia docet, hominem per carnem hominis nutriri non posse, quin potius luem veneream inde oriri multi non absque ratione credunt, siquidem hoc experimento canis, cum carne canina nutriti, confirmatur. Omnia autem assumta in corpore humano mutantur, priusquam in nutrimentum vertantur. Ergo ad conservandum corpus humanum talia sunt assumenda, quae mutata simile constitui possunt. Pari ratione itaque procedendum est in restitutione & conservatione acidi, quod inest nostro corpori; quanquam enim acidum Nitri assumatur, hoc tamen non aliter, nisi mutatum, pars nostri corporis fieri potest, ergo sic non simile acidum restituetur. Quod autem acidum Vitrioli per ulteriorem resolutionem & aliorum combinationem in acidum Nitri mutari possit, tam Illustr. STAHLIVS exactissime monstravit, quam etiam à Natura ipsa id fieri videmus, dum acidum, quod terra possidet vitriolicum, non solum per combinationem partium ex aëre & urina, sed etiam per ulteriorem resolutionem in nitrosum mutatur, id quod existentia Nitri in herbis & modus parandi Nitrum sufficienter demonstrant. Acidum Salis communis in nostro corpore pariter in acidum Nitri mutari, exinde patet, quod, dum inter alimenta semper Sale communi utimur, tamen acidum in nostro corpore reperiatur nitrosum. Cum ergo videamus in corpore humano, cœu artificiosissimo laboratorio chymico, non solum Salia in sua principia resolvi, sed etiam Salia acida immutari novaque inde produci, quorum primum extra corpus fieri nequit, nisi vel vehementissimo adhibito

hibito igne, vel addita terra, vel per acidum Vitrioli; utrum vero omni adhuc arte, nemo ante Illustr. STAHLIUM præstare valuit; Hinc istius acidi assumptio reliquis vel ideo præferenda videtur, quoniam inter omnia difficiliori obnoxium est destructioni, & si in medium Sal mutatur, uti in corpore animato facile fieri potest, diutius, quam reliqua Salia, tale manere solet. De Salibus autem mediis, tam nitrosis, quam Sale communi, notum est, ista iterum facile in principia resolvi, cum è contrario Salium mediorum per acidum Vitriolicum paratorum in partes constitutivas divisio difficilius obtineatur, immo ante Illustr. STAHLIUM, qui arcani duplicati in sua principia resolutionem problematice proposuit, nemo id, quantum quidem constat, præstare potuit. Quoniam etiam porro facillime reliqua acida, mediante acido Vitrioli, a suis, quibus adherent, corporibus liberantur, hinc insignem quoque usum hoc præbere valet in morbis ab acido, ubi nimirum acidum viscido adharens liberari, dein accedente sufficienti humido dilui & tandem è corpore eliminari potest. Proinde quoque acidum Vitrioli reliquis anteponendum duxi, ob copiosas tam igneas, quam sulphureas, quas continet, partes; priores enim harum inter se levissime coherent, hinc ut subtilissimum penetrare ubique illud potest, & ob sulphureas partes corrosiva qualitas ejusdem acidi valde moderatur, & coagulans vis, quæ aliàs acidis propria est, mitigatur. Denique etiam acidum Vitrioli, ob metallicas conjunctas partes, majorem in resolvendo viscido præstare potest efficaciam.

§. III.

Non solum altioris Chymix scrutatores *Tincturam Solis Est Tinctura Solis.*
 laudibus condignis vix satis deprædicare valent, illamque id.
 B circo

circo ut universalem medicinam commendant; sed etiam egregiam ejusdem virtutem vix unquam negare quisquam poterit, qui considerat, 1) Auri difficillimam *destructionem*, ob principia tam incime inter se connexa. Ad materiam autem morbificam destruendam necessario corpus requiritur, quod non ita cito destrui possit, unde inter omnia corpora Aurum cuilibet materiæ [morbificæ maxime resistere valet. 2) Huc pertinet ejusdem insignis *subtilitas*, ob quam actio & penetratio perfectissimi hujus metalli magnum in modum augetur. Hæc autem miranda subtilitas patet *) ex Auri *ductilitate*, dum, secundum observationes Dni de REAUMUR, quæ in Actis Academ. Reg. Scient. Parisens. anno 1713. extant, unica ejusdem uncia ita extensa fuit, ut 1189 pedes quadratos teget; §) ex magna ejusdem per fluidum *extensione*, si nempe libris 4. aquæ, cui nonnullæ guttulæ soluti per aquam fortem stanni commixtæ sunt, instillentur 10. guttulæ soluti Auri, tota aqua purpureo tingitur colore. 3) Ex auri *gravitate specifica*, quæ inter omnia corpora maxima est, ob quam dein ejusdem impetus fortior evadit: Omnis enim impetus corporis eo major est, quo major est quantitas massæ, & cum jam ob partium subtilitatem, num. 2. demonstratam, ejus actio aucta sit, istam nunc eo majorem, accedente majori gravitate, fieri necesse est. Quilibet itaque lubentissime fatebitur, acidum Vitrioli desiderio multorum Medicorum satisfacere, si, illud Aurum volatile esse, probare poterit, qua probatione non indigerem, si testimonia Alchymicorum afferre liceret: Ex his enim, quæ inter alia docent, veram solutionem Solis purum fere esse ignem, nec non ex ipsa experientia, quæ monstrat, oleum Vitrioli plenum igne esse, & propterea *ignem incombustibilem* vocari, facile

facile asserti hujus veritas demonstrari posset. Ast, cum plurimi eorum variis ex causis mihi hoc nunquam concedent, hinc ex vulgari phænomeno breviter illud demonstrabo. Notum enim est, aurifabros auri colorem mediante sulphure communi insigniter exaltare, quam exaltationem acidum Vitrioli in Sulphure communi contentum unice præstare nemo negabit. Notum porro est, quod Chymici cum Auro exaltato argenti cementati partem in Aurum mutare valeant: Hinc exinde patet, colorem hunc auctum idem esse, ac *animam*, ut vocant, *Solis* auctam, cujus artificiosam extractionem ex Auro, ad parandam veram ejus *Tincturam*, anxie desiderant. Augmentum vero hujus animæ, per Sulphur commune obtentum, in igne non persisteret, facile largior; ast hoc non impedit, quo minus acidum Vitrioli titulus *Tincturae Solis* tribui queat, immo quia hoc dependet a volatilitate hujus animæ addita, & quo magis Aurum volatile reddi potest, eo major evadit ejusdem *Tincturae* virtus, merito hinc acidum Vitrioli tanquam primaria & omnium optima *Solis Tinctura* respiciendum erit.

§. IV.

Cum præterea quoque obstructionibus viscerum optime medeantur ea, quæ sanguini decentem fluiditatem conciliant, *Est egregium apertivum.* vasaque blande roborant, quo materia obstruens, facilius propelli & circuli humorum integritas restitui queat; facile inde liquet, quod acidum Vitrioli, rite adhibitum, idem optimum hac in re præbere queat usum. Per terrearum enim partium blandam resolutionem sanguinis visciditas & spissitudo corrigitur, isque habilior ad transitum per vasa redditur. Qualiscunque ergo fuerit obstructio, vel aquabilis, ubi scilicet vas transitum humori concedit, sed tardiozem; vel plenaria, fem.

semper tamen illa per acidum Vitrioli tollitur. Quodsi enim ortum traxerit a vasorum debilitate & laxitate, tunc hoc medicamento, ceu martiali, ista roborantur; si à vasorum angustatione, ob parietum turgescentiam, tunc illud, sanguinem fluidiorem reddendo, impedit, quo minus amplius turgescere queant; si a materia quadam, canalem quemcunque, vel quoad partem, vel in totum obstruente, tunc materiam istam ob magnam, quam ex gravitate specifica & subtilitate peculiari possidet, vim, resolvit, & ita circulus humorum liberior redditur. Hinc etiam ad M. S. depurandam maxime commendandum est, cum putredini resistat, absque nimia M. S. resolutione obstructions removeat, sicque legitimas se- & excretionem iterum in pristinum ordinem restituat. Cum ergo Scorbutus & inde provenientes morbi, itemque malum hypochondriacum, obstructionem viscerum pro fundamento habeant; facile hinc apparet, quantam ex hisce remediis, legitime in usum vocatis, in mitigandis æque, ac tollendis hisce malis, Medici & ægroti sibi promittere queant utilitatem.

§ V.

Prodest in Hemorrhagiis aliisque nimis excretionibus. Humorum nostrorum nimia profusio si fiat vel à vasorum quorundam obstructione, hincque majori humorum versus reliqua, secundum leges hydrostaticas, impetu orto, tunc acido Vitrioli causam hanc tolli posse §. præc. demonstravi; vel si à nimia humorum fusione dependeat, huic etiam quam maxime resistit, eamque præsentem corrigit. Fusionem enim hanc Salia alcalia præstare, exinde videmus, quoniam acida quidem terreas partes resolvendo spissitudinem humorum removere, eorundemque fluiditatem decentem restituere valent, fundere autem humores

nun-

nunquam possunt, siquidem majori in dosi adhibita, illos magis inspissant & coagulant. Fusio itaque cum dependeat a partium sulphurearum resolutione, in has autem acida nullum jus habeant, merito ab alcalibus illam dependere concludendum est, quæ alcalia dein per acidum Vitrioli in egregium balsamicum Sal medium mutantur. Exoptatissimum hujus medicamenti, in nimia sanguinis fisione sistenda, effectum ipse aliquando vidi. Erat nempe fœmina quædam, quæ singulis fere annis adeo immodica mensium laborabat profusione, atque durante 3. vel 4. dierum spatio tantam sanguinis effundebat per consueta loca copiam, ut vix intra septem subsequentes menses taliter qualiter vires recuperare valeret. Semper huic morbo fervidus conjunctus erat æstus & insignis M. S. resolutio. Tandem cum eandem hic morbus iterum ludere fabulam inciperet, in consilium vocatus Medicus, in applicandis Celeb. DIPPELII medicamenti experientissimus felicissimusque, potiunculam, guttulas LXX. TRÆ acidæ Dippelii continentem, singulis horis ad cochlear unum vel alterum assumendam præbuit, & sic feliciter intra 24. horarum spatium cessavit tam calor, quam M. S. resolutio, viresque ita conservatæ fuerunt, ut agra ad actiones consuetas statim peragendas satis validam se sentiret, neque postea fonticum hunc iterum experta fuerit affectum.

§. VI.

Ad dolores excitandos, spasmosque producendos necessarius est spirituum auctior affluxus; hoc vero cessante, vel imminuto, cessant etiam, vel imminuuntur tam spasmi, quam dolores. Obtinetur equidem ut plurimum hoc per sulphurea, inspissantia & inviscantia, sed minus secure, major enim per hanc inspissationem, quoad obstructions ex-

Est rutilissimum anodynum.

inde eventuras, noxa metuenda est, quam unquam speranda erit utilitas. Cum autem liberatio spirituum a resolutione sulphurearum M. S. partium dependeat, quæ per alcalica potissimum efficitur, tutissime utique nimius spirituum affluxus per acidum Vitrioli impeditur. Hoc enim, mediante acrimoniâ alcalicâ, in medium sal balsamicum mutatur, sicque cessat sulphurearum partium nimia resolutio & spirituum major motus, insimulque causa irritans tollitur, neutiquam autem M. S. inspissatur, sed juxta ea, quæ in §. IV. dicta sunt, in decenti fluiditate conservatur. Si materia obstruens irritationem & dolorem inducit, his per demonstrata (§. IV.) etiam succurretur. Non raro etiam debilitas fibrarum, ob quam extensioni, ab impetu cordis & arteriarum fieri, sufficienter resistere haud valent, causa doloris & spasmodicæ contractionis est. Nostro autem medicamento robur sufficiens restitui posse, ex medicina illa, quam tanquam arcanum Regi Galliæ vendidit Prior *de Chabriere*, ad sanandas hernias, abunde liquet: Consistit enim ex spiritu Sal. commun. cujus aliquot guttulæ vino rubro admisceantur & ita propinantur,

§. VII.

Prodest in morbis intermittenti, tam calidæ, quam frigidæ. Calorem à resolutione sulphurearum particularum dependere, & hanc per acida impediti, nemo erit qui in dubium vocabit. Egregium itaque acidum Vitrioli existet medicamentum, in febribus præcipue continuis, calorem temperando, putredinem per alcalicum statum inductam (juxta ea, quæ §. I. dicta sunt,) impediendo, doloresque & spasmos mitigando. (§. VI.) Insignem hinc efficaciam in curatione horum morborum observabis, si e. g. potus libræ j. instillentur gutt. xv. xx. TRÆ acidæ Dippelii, rite cum oleo Caryoph. paratæ, &

& aliquot cochlearia singulis horis agro propinentur. Neminor ejusdem erit præstantia in curandis febribus intermittentibus: Viscidum namque his in febribus præsens, optime per hoc acidum, absque resolutionis nimie periculo, resolvitur, stasesque tolluntur, & materia morbifica ad secessum & eliminationem è corpore apta redditur. Cum etiam obstructio viscerum ut plurimum fomes horum existat malorum, hanc autem optime acido Vitrioli tolli posse §. IV. demonstratum sit, iterum clare exinde liquet, quod & huic indicationi egregie hac ratione satisfiat. Ex statu alcalico etiam oriuntur *sudores nimii*, quibus vires valde prosternuntur: Dissipantur enim quam maxime spiritus, & inspissatur M. S. acriorque redditur, hinc prudenter sudores isti sunt impediendi, quod hoc acidum, utpote fusioni M. S. resistens, præ reliquis tutissime præstabit. Quod autem in morbis *intemperiei frigida* usum acidi hujus suadere audeam, multis visus fore scio, ac si Dæmonia per ipsum Beelzebub ejicere vellem, quia acidum his in morbis sat copiosum jam adest. Ast, iis ad minimum paradoxum non videbitur hoc assertum, qui considerant, acidarum in corpore nostro particularum, absque fibrarum erosione, collectionem fieri haud posse, nisi viscidum sufficiens adsit, cui inhaerere acida possint. Quamdiu ergo viscidum hoc non resolvitur, ut acida contenta separari, dilui & è corpore evacuari possint, tamdiu nulla perfecta curatio speranda est. Neque etiam hic à laudando acidi Vitrioli ad hoc viscidum resolvendum usu me deterruit objectio, quod eo ipso, dum acida in corpore, ob immersionem in viscidum, retinentur & accumuluntur, constare videatur, acida viscidum resolvere minime posse. Non enim valet conclusio: Quicquid acidum minori vi præditum præstare

stare nequit, illud nec acidum majori vi præditum præstabit. Videmus enim in morbis a viscido oriundis, iisque gravissimis, e. g. Lue venerea, ulceribus caecoethicis, Cancro, &c. potentissime per mercurium dulcem hoc viscidum resolvi. Quod autem §ii dulcis actio primaria dependeat ab acido connexo, quæ actio, massam augendo per mercuriales partes, augetur, id infra demonstrabitur. Acidum Vitrioli autem ob partes metallicas, quas continet, etiam majori gravitate specifica, adeoque majori vi præditum est. Sic in Cancro acidæ particulæ concentrantur ope particularum terrearum, ibique illæ minori vi gaudent, alioquin terram resolverent, scirrhi que ortum impedirent. Hæc autem minor acidi hujus vis satis efficax est, ad fibras nostri corporis, utpote minus coherentes, resolvendas, & quia hoc acidum minori vi præditum est, hinc etiam minorem gravitatem specificam possidet, ita, ut tanquam specificè levius fibris adhærere in istasque agere queat. Si vero acidum majori gravitate specifica gaudens, quale est acidum Vitrioli, in usum vocetur, hoc non adhærebit fibris nostri corporis, uti §. IX. demonstrabitur; in terreas vero majori vi aget, istasque resolvat, ut hac ratione tales è corpore optime eliminari possint. Quod ergo acidum Vitrioli præstat in calore temperando in toto corpore, hoc etiam præstabit in parte: Ergo calorem in inflammatione præsentem pariter tollet stasesque, inflammationem efficientes, secundum demonstrata in §. IV. expediet, & sic inflammationem ipsam curabit.

§. VIII.

Est remedium in Non pauci inveniuntur, qui à pertinacissimis ex tartareis humoribus provenientibus morbis per totam vitam torquentur.

quentur. His ope medicamentorum, ex acido Vitrioli paratorum, exoptatissimum promittere possumus solamen. Licet enim acidorum nimius usus causa horum malorum existat, tamen hoc, quo minus medelam afferre optimam possint, non obstat. Tempora solum diversa, quibus acida assumuntur, hic observanda veniunt: Hæc enim prout variant, sic quoque acida erunt vel causa mali, vel medicina. Si acida assumuntur ventriculo repleto, terreæ partes per illa magis, quam par erat, resolvuntur, ut fluidis nostri corporis immisceri & in vasa subtilissima penetrare possint, ubi, si non resolutæ fuissent, etiam non penetrassent. Si itaque transitus per talia vasa impeditur, quod facile fieri potest, tunc stagnant hæ particule, & sero fluxili per transpirationem ablato, magis magisque coagulantur, hinc oritur Arthritis, Podagra, Calculus, &c. & hoc in sensu acidum *coagulans Tartari* vocare licet. Interim tamen hæ particule terreæ, in vasis subtilissimis stagnantes, iterum resolvi per acida possunt: si enim jejuno ventriculo assumantur, non adsunt in hoc viscere terreæ partes, quas resolvere, vel illis adherere possent, itaque ad has partes terreas, stasin inducentes, perveniunt, illasque resolvunt & fluxiles reddunt, ut successive in venas iterum redire, & aptis è locis evacuari possint. Præter internum usum TRæ antinephr. Dippelii, externe membro affecto illi potest spiritus Vini rectificatissimus, cujus libræ i. olei Vitr. uncia una admixta est.

§. IX.

Materia tantum illa ad calculum, in corpore nostro, absque fibrarum læsione, resolvendum apta judicanda erit, quæ quidem tanta gaudet specifica gravitate, ut fibris nostri corporis adherere nequeat, eamque ob rationem actio in illas

*Est egregium
um Libbon-
tripticum.*

C

pro-

prohibeatur, sed tamen levior adhuc calculo fit, ut huic ad-
 harere, in eumque penetrare & ipsum resolvere valeat.
 Hanc proprietatem acidum Vitrioli possidere monstrat &
 confirmat experimentum Illustr. & Excell. WEDELII, ejus
 ingeniosissimam mechanicæ animalium structuræ ad machi-
 nas hydraulicas applicationem in *Programmatibus*. Ipsius cla-
 rius deprehendes. Erat nempe ad ductum hujus Illustr. Viri pa-
 rata in coriarii domo antlia, in valvula inferiori globulo lapi-
 deo munita, qui globulus nonnullos post annos ab acido, quod
 rhus coriaria continet, Vitriolico, in tantum imminutus fuit,
 ut per foramen, quod occludere debebat, transferit, canale li-
 gneo tamen minime alterato. Cum itaque fibræ nostri corpo-
 ris æqualem fere gravitatem specificam cum ligno habeant, iis
 pariter nec acidum hoc adhærebit, si quidem etiam adhesio talis
 a mucō naturali, fibras obducente, impeditur, ut ita sine læsio-
 ne corporis nostri resolvere calculum valeat. Videtur quidem
 huic actioni acidi in calculum obstare mucus calculo adhæ-
 rens, qui tamen non transudat ex calculo ipso; hinc si per
 fluidum tantillum abstergatur, liberior patebit acido ad ter-
 reas has partes accessus. E contrario si ex fibris nostri corporis
 hic mucus transudat, novus semper iterum adest, si etiam
 quodam in loco forsitan abstergatur. Demonstravit quoque
 id ipsum experientia jam satis abunde, dum Cel. DIPPELIUS
 hocce acido Sereniss. quibusdam Principibus & multis aliis
 calculo laborantibus exoptatum præstitit auxilium. Plura
 pro demonstranda acidi H_2SO_4 utilitate adducere propterea non
 placuit, quoniam ex hisce adductis ad reliquos casus, ubi pa-
 riter illud prodesse possit, quilibet argumentari facile potest.
 Sequitur itaque nunc

SECTIO II.

§. I.

Quod acidum Vitrioli revera à plurimis Medicis in usum *Multa me-*
 vocetur, vel exinde, quod illud complura ingrediatur me- *dicamenta*
 dicamenta, sufficienter patet. Sic e.g. TRæ ꝑtis, liquor mi- *ex acido*
 neralis anodynus Hoffm. MRa simpl. Elix. propriet. cum aci- *Phli parat-*
 do, Arcanum dupl., Tartarus vitriol. Nitrum vitriol. Vi- *tur.*
 triolum martis, &c. acidum vitr. continent & per reliqua ad-
 dita ejus actio diversimode determinatur. Cum autem a
 multis objici soleat, hisce in medicamentis acidum Vitrioli
 non qua acidum agere, sed per artificiosam ejusmodi analy-
 sin & synthesin tertium aliquod, Phlo inhaerens, separari &
 produci, idque simul probare conentur exemplo liquoris a-
 nodyni Illustr. HOFFMANNI, ubi Galateam ex oreo acido re-
 dentam esse dicunt, quia fragrantissimus & penetrantissi-
 mus spiritus elicitor, qua proprietate tamen nec oleum Phli,
 nec Spir. vini per se gaudent; hinc non inutile erit, etiam in
 illud paulo exactius inquirere.

§. II.

Quod ergo liquoris anodyni insignem fragrantiam & ef- *Galateam in*
 ficaciam unice acido in certa proportione cum Spir. vin. re- *liquore*
 ctificatissimo commixto & unito adscribere, & abinde deriva- *anod. non li-*
 re ausus fuerim, sequentibus potissimum ex fundamentis fa- *beratam ef-*
 ctum est: 1) Quoniam sub simplici commixtione statim fra- *se.*
 grans hic odor oritur, & per lentissimam destillationem, ubi
 subtilius a crassiori separatur, penetrantior redditur, insimul-
 que ad fragrantiam hanc temperandam nil amplius requiritur,
 quam ordinariæ hoc in liquore præsentis acidi Phli
 quantitatis imminutio; si enim a) super calcem viv. vel cinere-
 res,

res, vel $\text{S}^{\text{u}}\text{m}$ F^{i} p. d. destillatur hic liquor, tunc fragrans hic sulphuris accensi similis odor prorsus perit, dum nempe hisce corporibus acidum, quod cum Spir. vini particulis non adeo intime conjunctum est, adheret & sic minuitur, quem laborem autem ideo tanquam supervacaneum reputo, quia etiam mediante sola addita sufficiente quantitate Spir. vini hæcce dulcificatio liquoris istius obtineri potest. *b)* Si aquæ fontanæ hic liquor admisceatur, iterumque destillatur, etiam temperatus ille prodit; ast, si aqua deinde etiam ad siccitatem usque destillatur, manet materia nigricans, quæ accedente humido aëris in oleum Vitrioli iterum mutatur. 2) Existentiam $\text{S}^{\text{u}}\text{m}$ O^{u} in hoc liquore Illustr. STAHLIUS confirmat, cum problematica sua, qua semper Chymicos vexavit, methodo, dum p. 423. *Tr. de Salibus*, de hoc liquore asserit, quod intra $\frac{1}{2}$ horæ spatium oleum Vitrioli ex hoc liquore à Spir. Vini separari possit, id quod speciatim addita limatura martis fieri posse, ex iis, quæ p. 114. dicti Tractat. extant, patet. Ne autem objicere quis possit, quod forte per additam limaturam martis oleum hocce Vitrioli iterum producat, de simpliciori methodo ad illud separandum cogitavi, & tandem, Chymicorum de oleo O^{u} asserta, quod sit ignis incombustibilis, pendens, simplicissimum inveni modum, quo illud statim & sine omni additione ab isto liquore separari potest, & quidem hac ratione: Sumatur quantitas aliqua hujus liquoris, infundatur in vas vitreatum, & dein accendatur, sic Spiritus vini avolabit, relicta una alterave guttula olei Vitrioli. Aliquando etiam, si Spiritus vini phlegmate omni non fuit penitus orbatus, haud sufficienter concentratum hoc acidum obtinetur, sed leni calore accedente pars aquea abit, ut oleum Vitrioli concentratum remaneat.

S. III.

Multi insignem hanc medicamentorum ex acido Vitrioli *An à §ii* paratorum efficaciam §io, in oleo isto contento, tribuere *presentia* malunt, quam ipsi acido Vitrioli. Certa equidem omnino *dependeat* est mercurii, tam in Vitriolo, quam ejusdem oleo presentia. *efficacia §oi* Modum enim, §um ex Vitriolo parandi, contra ROLFING- *§li.* CIVM, BECHERVS in *Phys. subterr. Suppl. II. p. 819.* demonstravit. Ex Oleo Vitrioli secundum modum, quem Excellentiss. TEICHMEYERVS in *Diss. de Liquoribus anodynis mineralibus p. 13.* describit, mercurium parari posse, constat. Sic quoque in rectificatione olei Vitrioli sapissime globuli mercurii currentis in collo retortæ deprehenduntur. Porro etiam Autor *Alchymie denud. p. 130.* in fin. de modo §ium ex oleo Vitrioli intra sex horarum spatium parandi, mentionem facit, quod mediante urina præstari posse autumo. Interim tamen minime mercurio in oleo Vitrioli presenti egregios, quos hoc præstat in corpore humano effectus, tribuendos esse puto, quia iste sibi relictus in corpus, cujus fibris, tanquam gravior, non adhæret, nullum jus habet. Quod §io tanta vis tribui possit, ex §-ti venenosa qualitate, itemque egregio illo effectû, quem mercurius dulcis in resolvendo viscido, curandisque morbis venereis exserit, satis patere credunt. Hæc persuasio etiam in causa fuit, quod olim multi ipsi quoque §i venenosam qualitatem inesse putarint, id eoque eandem nunquam, minima licet dosi, adhibere ausi fuerint, cum tamen sanum sit nervinum & antispasmodicum. Cum vero a posteriori sciamus, libram dimidiam mercurii vivi assumi posse, illamque per corpus transire, citra qualemcunque in illud actionem, nedum ullam illatam noxam, facile hinc liquet, quod hæc actiones §io sibi relictæ non

non sint tribuenda. Interim cum Mercurius per se corpori non adhæreat, adeoque in illud etiam non agat, & Salia minori dosi non sint venenum, ξ ius Δ tus tamen nil aliud sit, quam ξ ius, cui acidum Θ is communis connexum, quærere quis possit: Unde hæc actio vehementissima oriatur? Hoc paradoxon autem facile explicari potest, si consideramus, rationem hujus phænomeni, quod Θ ia non sint venena, tantum hære in dosi, si hæc nempe minor est; ubicunque itaque concentrata redduntur, tunc demum venena existunt. Quod autem in hac combinatione Θ ia concentrentur, Physica nos docet: Servant enim Θ ia leges ignis, dum nempe quo gravius est corpus, eo plures adhærere possunt particula; ξ ii vero gravitas specifica ad gravitatem specif. aquæ in ratione est, ut 14. ad 1. E. guttulæ unicæ ξ ii adhærebit quantitas Θ ium quaterdecuplo major, quam uni guttulæ aquæ; E. hic Θ ia magis concentrantur. Ex hoc itaque fundamento Θ ia in ξ io Δ to ut venenum agunt. Median-
 tib; iisdem autem Θ ibus ξ ius in vasa nostri corporis subtilissima penetrare nunc potest. Per Θ ium enim adhesionem in superficie particulæ ξ ii leviores redduntur, ut fibris nostri corporis adhærere possint; hinc quoque Θ ium ex adhesionem actio, ob massam particularum per ξ ium auctam, major fit, impetus enim cujuslibet corporis est *Factum* ex massa vel in celeritatem, vel in quadratum celeritatis; sub his autem circumstantiis massa non solum major evadit, ob majorem ex concentratione in uno spatiolo Θ ium præsentiam, sed per ξ ium octuplo fere major redditur. Porro cum eadem vis fortior sit, si corpori graviori applicetur, quam si leviori applicata fuerit, sicuti e. g. vis eadem pulveris pyrii, ope sclopeti globulum plumbeum celerrime & vehementer ad
 mi-

minimum per centum passus movet, linteamen autem, quod globulus obvolutus erat, vix per trium passuum spatium propellit. Hinc si spicula H_2O semel in fibram quandam, mediante adhesionem, infixam fuerit, impetus fluidorum nostri corporis eam majori vi pellet, quam si Salia mercurio non essent juncta. Reactionem dein harum spicularum, quae oritur ex oscillatione fibrillarum nostrarum, massa haec per H_2O aucta octuplo majorem reddit, id quod ex sequenti patet phanomeno, dum scilicet cuneus ferreus in lignum secundum directionem fibrarum ligni intrusus, majori celeritate penetrat, quam cuneus ligneus, licet lignum eadem vi in parte cuneo opposita percutiatur. Ob hanc ergo combinationem acidi H_2O communis cum H_2O , ex quadruplici fundamento Salium actio vehemens redditur: 1) ob concentrationem Salium, 2) ob majorem actionem ex adhesionem per massam auctam, & ex hac massa per mercurium aucta sequitur 3) actio major ab impetu fluidorum nostri corporis, sicuti 4) reactio major sequitur oscillationem fibrarum. Quilibet itaque nunc facile concedet, Salia veneni actionem hic praestare, mercurium autem eorum actionem determinare, scilicet vel majorem, vel minorem reddere. Nisi enim H_2O per se vis sit, fibras nostri corporis destruendi, H_2O sane additamentum hanc destructionem non efficeret, quod exinde patet, quia si mercurius cum H_2O combinatur, nervinum constituit medicamentum, ubi aperte sulphuris proprietatem sequitur, & illam auget. Quod autem Mercurio per se venenosam qualitatem tribuere nequeamus, modus H_2O cum in dulcem mutandi demonstrat. Mercurius enim sublimatus per additionem H_2O vivi in H_2O dulcem & efficax medicamentum mutatur. Si ergo ipsi venenosa inesset qualitas,

litas, hæc utique eo major redderetur, quod tamen non evenit, quin potius minor redditur, quia per mercurii vivi additionem Salia in majus spatium distribuuntur, sicque concentratio eorundem cessat, & quo major additur quantitas Mercurii vivi, eo minor redditur actio Salium. Hinc LEMERY in Actis Academ. Reg. Scientiar. Parisiens. Anno 1699. p. 69. testatur, se Chymicum vidisse, qui $\frac{1}{2}$ ium dulcem ita paraverat, ut ad integram, imo binas uncias assumi potuerit. Cum itaque mercurius tantum actionem corporum eorum, quibus connectitur, sequatur, eamque vel augeat, vel minuat; etiam mercurio in oleo Vitrioli præsentem nil aliud tribendum erit, & quia effectus, quos oleum Vitrioli exferit, ex acido ibi præsentem explicari possunt, itidem mercurius hic nil præstabit, quam acidi actionem & penetrationem augendo.

SECTIO III.

§. I.

*Quomodo in
usum sint
vocanda.*

Præstantia acidi Vitriolici ab antiquis quidem temporibus altiori Chymicæ deditis cognita fuit, illudque BASILIUS VALENTINUS, PARACELSUS, HELMONTIUS, alique magni æstimarunt, semperque arcanum iisdem fuit. At cum plurimi Medici solidius Chymicæ studium negligenter, factum hinc est, ut insignis efficacia egregii hujus medicamenti, ex inexhausto illo felicitatis ac sanitatis fonte, Smaragdina scilicet & benedicta illa fodina Vitrioli, hauriendi, penitus incognita permaneret, immo etiam modum eliciendi Spiritum & oleum Vitrioli satis diu ignoraverint. Primus ergo, quantum quidem novi, M. Job. GRAMANNUS, Medic. Præcticus Erford. modum illud parandi, ejusque usum peculiari Tra-

Tractatu communicavit, qui postea a filio, D. Georg. GRAMMANNO, emendatus Ao. 1618. iterum editus fuit. Novissime vero Celeb. DIPPELIUS feliciter oleum Vitrioli curandis plerisque in morbis adhibendo, virtutem ejus non satis laudandam nobis clarius ante oculos posuit. Tempus autem assumptionis hujus medicamenti probe omnino observandum est, ut nempe jejuno inprimis ventriculo assumatur, sic enim in M. S. abire ejusque spissitudinem, viscidum scilicet ibi hærens blande resolvendo, tollere potest. Summa ejus dosis non ultra guttulas 3. 4. vel 5. ascendit, quæ in poculo, Hispanico vel alio dulci vino repleto, assumuntur. Quamvis autem, experientia teste, in hac dosi ss ℥i in vino dulci sumtum, non facile actionem intentione majorem inducat, illudque ita sæpissime a Celeb. DIPPELIO in usum vocatum fuerit, tamen cum pro variante dosi majore vel minore, medicamentum æque ac venenum evadere posset, consultum esse judico, ut aliis corporibus illud antea combinetur, quibus vel ejusdem virtus magis emendari, vel actio ejus nimia refrenari possit, cum à priori constitutionem corporum, & quamnam ejusmodi heroici medicamenti dosin sustinere valeant, determinare nesciamus. Hinc breviter adhuc de præcipuorum ex acido vitrioli medicamentorum præparatione agere liceat.

§. II.

Celeb. DIPPELIUS ipse oleum Vitrioli cum aliis corporibus combinavit, in sua, quam *acidam* vocant, *Tinctura*. Hujus autem compositiones huc transcribere superfluum duxi, quoniam Autor anonymus in notis ad Democriti Tract. *Stanchheit und Arseney des animal. Lebens*, Francof. & Lipsiæ 1736. hunc laborem suscepti; pag. enim 138. *Elixirii polychére-*

De Tract.
acida Dip.
gellii.

fi cum acido, & pag. 192. TRæ antinephrit. compositionem descripsit. Hæ TRæ ad gutt. 20. - 40. assumi possunt in vino, vel aqua. Si in morbis chronicis metuatur, ne acida principia nimium, quam par est, agant, post continuatum per aliquot dies hujus TRæ usum, vespertinis horis propinari possunt Spir. CC. gutt. XV. XX.

§. III.

De Sale purgante ex acido Oli parato.

Si unquam purgans intentioni Medici satisfacere valet, certe *Sal* erit *purgans*, ex oleo Oli paratum. Quam optime enim resolvit viscidum, illudque sine omni molesto ad defendendum stimulo & rarefactione sanguinis evacuat. Hanc ob rationem GLAUBERVS illud *Sal mirabile* vocare non dubitavit. Cum vero GLAUBERI præparatio istius salis nimis laboriosa multis videretur, Cel. DIPPELIVS breviorē docuit, quæ etiam in cit. Tract. p. 151. descripta est.

§. IV.

De liquore anodyno.

Egregii hujus mediante oleo Vitrioli parati medicamenti præparationis modum, quippe a multis uberrime jam traditum, hic repetere animus non est. Sed quia per miscellam anaticæ quantitatis O Oli & Spir. vini, in destillatione æthereum insignis penetrabilitatis & virtutis oleum impetrari potest, hoc autem non semper ex voto succedit, & spiritus saltem, qui *liquor anodynus* vocari solet, obtinetur, modum, quo hoc oleum casu accepi, tradere volo. Nempe more ad dulcificandum hunc liquorem recepto illum aquæ simplicis instillavi, & sic per destillationem oleum hoc æthereum, una cum parte liquoris hujus temperatius redditum, obtinui.

§. V.

Unguentum.

Quod revera medicamenta existant, quibus Cancer tam

CC.

occultus, quam apertus, sanari possit, Celeb. Consil. KORT-^{rum in Can-}
HOLT, admirando suo remedio probavit. Testimonia de ^{cro.}
hujus remedii insignibus effectibus extant in *Actis Vratisla-*
vienensibus, Tentam. VII. p. 108. sqq. & Tent. XIV. p. 459. 55 672.
& TABORIS *Diss. de Cancro mammarum ejusque nova extirpandæ*
methodo, Trajecti ad Rhen. 1721. ventilata. Cum autem
certum sit, Celeb. hunc Virum in analysi Vitrioli desudasse,
remediumque hoc ex Vitriolo parasse, teste Illustr. TEICH-
MEYERO *in Instit. Chym. p. 183.* præparationem unguenti cu-
jusdam contra Cancrum hic tradam, quod, si non idem, ta-
men simile erit remedium, & a solidioris Chymix gnaris, ut
BASILIO VALENTINO, aliisque valde commendatur. Rec.
Olei Hyper. unc. III. olei Oliv. unc. I. sem. olei Vitri. unc. III.
miscæ, digere per 14. dies, & dum adhuc calet aquam sim-
plicem affundendo agita, hanc aquam dein remove, novam-
que iterum affunde, & hoc tamdiu repetendo lava, donec
nullam amplius sentias hoc in unguento aciditatem, sed
perfectam dulcedinem. Hoc unguentum aliis ordinariis un-
guentis admiscetur & loco affecto applicatur. Interne au-
tem medicamenta aperientia, M. S. depurantia, adhibentur,
sic tandem bona obtinebitur suppuratio. Acida omnia sul-
phureo juncta dant resinam balsamicam, qualis est Succin-
num, Ambra, &c. Ergo & hic ex acido optimo & oleo
præparabitur resinofum maxime balsamicum. Oleum enim
determinatam tantum quantitatem acidi recipere valet,
reliquum autem aqua abluitur, & sic acidi corrosiva qua-
litas in blande resolvens & balsamicum mutatur. Simili
fundamento nititur extractio, quam vocant der ro-
then Seele, ex Spiritibus acidis, cui mirandos tam in metallis,
quam corpus humanum effectus tribuunt Chymici. Recipi-
tur

tur nempe Spiritus vel Nitri, vel Vitrioli, vel oleum Olli, & affunditur olei cujuslibet proportionata quantitas, dein in B. M. tamdiu digeritur, donec oleum infusum purpureum acquirat colorem. Huic rubro oleo, a spiritu acido separato, affunditur Spir. vini, qui ex hoc oleo rubrum iterum extrahet colorem. Hunc spiritum vini ab oleo non soluto separa & in B. M. destilla, sic remanebit liquor rubicundus oleosus insignis efficaciae, licet non credam, hoc modo rubrum principium, quod e. g. in destillatione Spir. Nitri sese ostendit, extractum esse, sed potius ex determinata proportione & combinatione acidi cum sulphureo oleoso illud oriari probabile sit. Unico penicillo duos dealbare poteris parietes, si in hoc Processu assumes oleum Anisi; tunc enim in destillatione Spir. vini accipies Spir. vini anisatum, ad varios usus utilem, e. g. ad parandum Spir. Salis ammon. anisatum.

§. VI.

Non pauci sunt, qui anxie in dulcificando oleo Olli desudavere, nihil vero perfecerunt, hincque maxime ingenuum Auctorem *Aureae Catena*, qui modum dulcificandi tradidit, imperitiae & mendacii accusaverunt. Qua ratione autem dicta istius Auctoris veritati consentiant, Celeberr. Dr. SCHMID, Consillar. aulic. Hasso Darnstadtensis in *Disquisitione de Menstruis universalibus* p. 147. docet. Si itaque modum parandi tale, quod desideratur, citat. loco, acetum sciamus, dulcificatio olei Vitrioli ex voto succedet. Possem quidem hic a priori varios parandi modos suggerere, sed merito tamdiu eos silentio pratero, donec experimentis de illis certior redditus fuero. Hic mihi sufficiet, si acetum vini eundem, quem desiderant, effectum praestet, Hoc autem fiet sequenti

mo.

De Oleo Vitrioli dulcissimo.

modo. Rec. Vitrioli ad rubedinem calcinati q. v. affunde acetum vini destillatum, hoc extrahet TRam rubram; hac decantata, novum acetum affunde, & hoc toties repete, quoties acetum rubrum adhuc extrahit colorem. Hæ TRæ filtratæ indantur cucurbitæ & destillentur in B. M. ad siccitatem. Pulveri affunde destillatam aquam pluvialem & destilla iterum in B. M. ad siccitatem. Aliam tunc aquam iterum affunde & destilla, illudque tamdiu repete, usque dum aqua insipida ascendat. Ultimo affunde Spir. vini & iterum destilla in B. M. ad siccitatem. Hic pulvis, vel potius Vitriolum, eximatur, contundatur, & indatur retortæ vitreæ loricatæ, sic mediante igne aperto per gradus aucto, prodibit oleum Vitrioli dulcissimum. Hæc processu eadem, quæ præcipit *Aurea Catena*, principia acido Oili combinata sunt. Vitriolum autem ad rubedinem calcinatum propterea oleo Oili hic prætuli, quia acidum vini hoc in corpore, ceu terreo, optime a phlegmate separari, hinc acido Vitrioli intimius uniri potest. Deinde etiam huic corpori facilius principium sulphureum Spiritus vini combinari potest, ut itaque eadem in hoc Vitriolo, dicto modo parato, unita existant principia, quæ secundum modum in *Aurea Catena* allatum uniuntur. Quod autem destillatio cum aqua hoc in processu exigatur, ea nititur ratione, ut principia non satis unita vel intimius adhuc uniantur, vel quæ uniri non possunt per destillationem iterum abeant, propterea etiam destillatio cum nova aqua toties repetenda est, quoties adhuc aqua saporem exhibet acidulum. Si Arcanum Tartari egregios, quod nemo negabit, effectus edere potest, certe ab hoc oleo adhuc insignior expectari potest efficacia. Sunt enim eadem, quæ in Arcano Tartari, unita principia, sed magis concentrata, ob mercuriales


Vitrioli, quibus adhærent, partes. His enim, ex rationibus physicis, plura adhærere possunt, quam Salis Tartari particulis. Eadem quoque mercuriales partes actionem horum principiorum, ob massam & subtilitatem majorem, insigniter augent.

§. VII.

*De Vitriolo
martis dul-
cissimo.*

Omnia recensita medicamenta, aliaque plura ex Vitriolo & ejus oleo paranda, meliora evadent, si *Vitriolum martis dulcissimum*, cujus præparationem docet Illust. TEICHMEYERUS in *Instit. Chym.* p. 231. adhibeatur, & Oleum Vitrioli ex eodem destilletur. Quia non ubique locorum, nec omni tempore TRra martis haberi, & difficilius conservari potest, ex hoc Vitriolo semper illam parare vales mediante vino Hispanico, siquidem grana ʒ. in vino Hispanico soluta, pro una dosi sufficiunt.

S. D. G.



01 A 6512 (A)

ULB Halle 3
002 937 31X



f


TA → 0L

nur Stk 10 bisher verknüpft
und Stück 39

R

1017







42

DE
VITRIOLI
TANTIA,

CTORITATE
ORDINIS MEDICI
NTIQA HIERANA,
PRO
7 DOCTORIS
RTE SALVTARI PRIVILEGIIS
IMMVNITATIBVS
EMNITER ADIPISCENDIS,
DISSERIT
A VCTOR
MVS LVDOLF,
FORD. THVRING.

NO M DCC XXXIX.
XIX. SEPTEMBRIS,
MAJORI COLLEGII MAJORIS
RIS CONSVETIS.

RFORDIÆ,
INGIANO, ACAD. TYPOGR.

